

fructum, sed administrationem omnium honorum relinquere, sicque matrem curatricem, aut tutricem prolium facere velit, pariter id exprimat. Quamvis enim officium administrationis, extantibus post mortem mariti liberis, alia de jure jam competat matri ad secundas nuptias non transeunti, adeo ut, si velit, omnibus aliis (exceptis datis per testamentum patris) præferatur: textu claro novell. 118. cap. v. et novell. 94. cap. II. cum quibus etiam Bavariæ statuta concordant tit. V. a. 3. Nihilominus firmiter erit, si id in testamento etiam exprimat maritus.

390. Illud porro notandum, quod, si maritus uxori, vel hæc illi in testamento aliquid legat, secure faciat, si solemnitates saltem ad codicillum requisitas adhibeat. vel ad acta tradat; ne alias liti periculo factum legatum exponat, ob sententiam plurium doctorum volentium testamentum minus solemniter inter liberos validum, esse invalidum quoad legata pro extraneis inserta juxta dicta supra n. 162.

391. Insuper etiam advertendum, quod si maritus uxori, vel hæc illi proprium quid, vel usumfructum legare velit, necesse non sit, ut faciat testamentum; sed possit id per solam codicillum, adhibitis ad id quinque testibus juxta dicenda §§ 20 et 21 præstare, dammodo coram testibus manifestet, quod non intendat facere testamentum, sed tantum codicillum, in quo præcise legata pro uxore, vel etiam pro anima sua, vel pro aliis indicare, liberis autem ab intestato successuris hæreditatem dividendam relinquere velit.

392. Tandem conjuges monendi, quod quamvis unus alteri tam in reciproco, quam non reciproco testamento usumfructum, vel etiam proprietatem omnium honorum (sola excepta legitima) de jure civili legare valeat; nihilominus si vident, quod liberi per solam portionem legitimam, sustentationis necessariæ media non habeant, nec se aliunde sustentare valeant, quivis conjux saltem, de jure naturali teneatur plus relinquere liberis, hoc ipso, quod ad præstanda eisdem alimenta jure naturali teneatur, « per vulgaria juris. » Limita monitionem in casu, quo maritus, v. g. probe scit matrem pro liberis omnino fore sollicitam, legatamque sibi substantiam vel usumfructum in liberorum utilitatem applicaturam, vel saltem conservaturam, ut proin similia legata in liberorum detrimentum non vergant, sed tantum ad id

serviant, ne mater a liberis despiciatur, aut minus honoretur, aut ne ab eis dependere debeat; vel etiam, ne liberi sua immature consumant, ac dissipent, etc., tali enim casu tam de naturali quam civili valide ad licite aget, etsi usumfructum, vel proprietatem omnium honorum, excepta legitima, uxori, vel hæc marito relinquat.

Quæ cuncta a n. 383. huc usque prolixius dicta sint in gratiam minus peritorum in jure, vel praxin non habentium, ut in frequentissimis conjugum testamentis sibi, aliisque facilius consulere valeant, præsertim in locis, ubi jurisperiti, aut practici alii haberi non possunt.

393. *Per se loquendo nemo tenetur facere testamentum, bene vero per accidens: et quando?* — Quæritur III. An sit aliqua obligatio faciendi testamentum? Resp. per se loquendo, nulla datur talis obligatio, bene vero per accidens. Prima pars, quod per se non detur talis obligatio, communiter conceditur, indeque patet; quia nulla lex nec divina, nec naturalis, nec humana assignari potest ad id obligans. Secunda vero pars tanquam certa docetur a Molina, disp. 135, n. 1. Dicitur autem per accidens et indirecte obligari, quando quis prævidet, quod, nisi condatur testamentum, sint secutura multa scandala, odia ac dissidia, vel præjudicium tertii, v. g. creditorum, etc. Ratio est, quia quivis dum facile potest, tenetur similia mala avertere, si non ex justitia, saltem ex charitate.

Infertur proin clericos sæculares habentes bona ecclesiastica mere superflua, graviter teneri præfata bona vel in vivis erogare in causas pias, vel ad easdem causas facere testamentum; eo quod alias, nisi videlicet alterutrum faciant, bona residua ecclesiastica ab intestato capiant consanguinei cum magno eoque injusto præjudicio causarum piarum. Limita tamen hanc illationem in casu quo clerici consanguinei ab intestato successuri ita sunt pauperes, ut omnibus residuis indigeant: cum enim talibus bona superflua tam in vivis donare, quam per testamentum relinquere posset, eadem illis et intestatus cedere potest.

§ XIII.

DE HÆREDIBUS, ET EORUM INSTITUTIONE, VARIISQUE MODIS INSTITUENDI.

394. *Hæres et hæreditas, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit hæres. Resp. I.

Hæres (cujus nomen derivatur ab hero; quia veteres, « hæredes pro dominis appellabant. » § fin. Instit. de Hæred. qualit.) est, qui in universum jus defuncti vel ex testamento ex dispositione testatoris, vel ab intestato, et dispositione legis succedit. Ita in re communis, patetque ex l. Hæredem. 59. ff. de Reg. jur. ibi: « Hæredem ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat: » et l. Hæres. 37. ff. de Acquirend. hæred. ibi: « Hæres in omne jus mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit. » Hinc etiam universum jus defuncti Hæreditas ab hærede vocatur, l. Hæreditas. 62. ff. de Reg. jur. ibi: « Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit. » An autem, et quomodo quis possit hæres institui, in parte certa, vel etiam in parte determinata, sicque hæres esse rei certæ, ac determinatæ salva definitione data: patebit ex conclusionibus dandis ad quæsitum sextum, faciendum infra n. 420.

395. *Hæres alius est ab intestato, alius ex testamento.* — Resp. II. Hæredem primo dividi in hæredem ab intestato, et in hæredem ex testamento seu institutum. « Hæres ab intestato est, qui ex dispositione legis succedit in universum jus illius, qui intestatus decedit, qui nempe aut omnino testamentum non fecit; aut non jure fecit: aut id, quod fecerat, ruptum irritumque factum est: aut si ex eo nemo hæres extiterit; » prin. Instit. de Hæreditat. quæ ab intestato. Concordat, l. I. ff. de Suis et legit. Hujusmodi hæredes ab intestato sunt proximi consanguinei intestatorum: de quibus hæredibus specialiter in tit. seq. de Succession. ab intestato. Hæredes ex testamento, seu instituti sunt, qui ex speciali dispositione testatoris, in testamento hæredes nominati ac instituti in jus defuncti succedunt, per vulgaria.

396. *Alius necessarius, alius voluntarius: necessarius alius suus, alius non suus.* — Secundo dividitur hæres in necessarium, et voluntarium sive liberum, qui etiam extraneus vocatur. Necessarii hæredes olim subdividebantur in necessarios suos, et necessarios non suos. Necessarii ut sic illi vocabantur, qui, si hæredes scribebantur, nolentes volentes hæreditatem etiam cum suo præjudicio, vel damno adire debebant. § 1. Instit. de Hæred. qualit. Necessarii et simul sui erant filii et filia, ac nepotes in testatoris patria potestate adhuc constitui, § 2. Instit.

de Hæred. qualit. ibi: « Sui autem et necessarii hæredes sunt, veluti filios, filia, nepos, neptisve ex filio, et deinceps cæteri liberi, qui in potestate morientis modo fuerint. » Ubi etiam legislator, quare ita vocentur, explicat illis verbis: « Sui quidem hæredes ideo appellantur; quia domestici hæredes sunt: » Item, quia hæreditatem prius quodammodo jam suam obtinent, l. In suis. 11. ff. de Liberis et posthumis. « Necessarii vero ideo dicuntur; quia omnino, sive velint, sive nolint, tam ab intestato, quam ex testamento hæredes fiunt, » adeo, ut testator a testamento sine justa exhæredandi causa eos excludere non possit, ipsi vero hæredes necessarii et sui hæreditatem sive ex testamento, sive ab intestatoris competentem repudiare olim non potuerint, cit. § 2. Instit. de Hæred. qualit. Quamvis hodierno jure in hoc ultimo sint dispensati, eo quod suis quoque hæredibus concedatur, repudiare hæreditatem, si velint, Instit. de Hæred. qualit. et l. Necessarii. 57. ff. de Acquirend. hæredit. Ut proin liberi et nepotes in patria potestate constituti, non amplius sint hæredes necessarii in hoc sensu, quod necessario hæreditatem adire debeant, eamque repudiare non possint, sed quod necessario debeant hæredes institui, vel exhæredari.

397. *Extranei hæredes, et voluntarii qui olim?* — Hæredes voluntarii: sive extranei erant cæteri omnes etiam liberi emancipati, in casu hæreditatis maternæ, § 3. Instit. de Hæred. qualit. ibi: « Cæteri, qui testatoris juri subjecti non sunt, extranei hæredes appellantur. Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, hæredes a nobis instituti, extranei hæredes nobis videntur. Qua de causa, et qui hæredes a matre instituntur, eodem numero sunt: quia fœminæ in potestate liberos non habent. »

398. *Qui nunc?* — Verum licet liberi jam emancipati, et universaliter liberi in casu hæreditatis maternæ, in sensu juris antiqui, nec sui, nec necessarii hæredes fuerint; hodierno tamen jure omnes liberi tam emancipati, quam non emancipati, sive adhuc in patria potestate constituti, æqualiter dicuntur hæredes necessarii in hoc sensu, quod vel necessario debeant institui hæredes, vel nominatim exhæredari. § 5. Instit. de Exhæred. liber. ut proin in puncto successionis inter liberos nondum emancipatis tanquam hæredes suos, ac necessarios; et inter liberos emancipatos tanquam hæredes non suos ho-

dierno tamen jure, in præfatis sensu *necessarios* nulla sit differentia: nisi quod secundam Gomez, Vasquez, Hunnium, et alios hæredes *necessarii sui*, id est, liberi et nepotes in potestate testatoris paterna adhuc constituti, ipso jure acquirant hæreditatem quoad dominium (non quoad possessionem) absque additione, eamque transmittant ad hæredes, arg. *In suis hæredibus*. 41. ff. de *Liberis et posthum.* Emancipati vero utpote hæredes hodierno jure *necessarii* quidem, sed *non sui*, primum per additionem hæreditatis acquirant illius dominium, et absque additione dicta hæreditatem ad hæredes sibi succedentes, non transmittant, arg. et. § 3. *Instit. de Hæred. qualit.*

399. *Hæredes necessarii hodierno jure, qui?* — Porro hodierno jure et stylo per hæredes *necessarios* ordinarie intelliguntur omnes et soli illi, qui in testamento saltem quoad legitimam hæredes necessario institui debent, sunt liberi, ac deficientibus liberis, eorum nepotes, ac cæteri descendentes in linea recta, § 5. *Instit. de Exhæred. lib.* His autem deficientibus ascendentes in linea recta, ita tamen, ut quandiu adsunt descendentes, ascendentes inter hæredes *necessarios* non computentur. Novell. 118. cap. 1.

400. Per hæredes *voluntarios* vero et *extraneos* intelligantur illi, qui in testamento institui necessario non debent. Quales exceptis descendentes, et ascendentes; sunt omnes reliqui, adeo, ut testator nec fratrem, nec sororem, nec uxorem, nec maritum, nec consanguineum, nec ullum alium pro hærede instituere, vel eis legatum facere de jure teneatur, sed possit illis neglectis suam hæreditatem cuivis hæreditatis capaci pro libitu relinquere (sola excepta persona turpi juxta dicenda infra) ut habet communis et certa, patebitque magis ex dicendis.

401. *Hæres esse potest omnis, qui non prohibetur.* — Queritur II. Quinam possint esse hæredes? Resp. I. Regula est: Omnes homines, non tantum singuli et privati, sed etiam integræ communitates, causæque piæ, et profanæ institui, et esse possunt hæredes, nisi jure specialiter prohibeantur. Communis ac certa. arg. l. *Non minus*. 31. ff. de *Hæred. instit.* et princ. *Instit. eod.*

402. *Prohibentur autem plures esse hæredes, et quinam?* — Resp. II. Sequentes de jure specialiter prohibentur institui hæredes. I. Judæorum communitas, l. I. c. de *Judæis*.

II. Hæretici, eorumque receptores, et defensores, l. *Manichæos*. 4. et l. fin. juncta *Authen. Credentes c. de Hæreticis*, ibi: «Credentes propterea defensores, et fautores hæreticorum, nec testandi habeant potestatem, nec ad hæreditatis successionem accedant.» Excipiuntur tamen Itherani et Calvinistæ, utpote qui saltem in imperio Romano hæredes esse possunt vi pacis Monasteriensis. III. Apostatæ a christiana fide l. *Hæ qui*. 3. c. de *Apostatis*: ibi: «Apostatæ a fide christiana nulli in hæreditate succedant, a nemine scribantur hæredes.» IV. Qui percipiunt, vel persequuntur cardinalem, cap. v. de *Pœnis*, in 6. ibi: «Nec ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocetur.» V. Peregrini, qui jus civitatis Romanæ ex causa pœnæ amiserunt, quales sunt deportati, l. I. c. de *Hæred. instit.* ibi: «Qui deportantur, si hæredes scribantur, tanquam peregrini capere non possunt: sed hæreditas in ea causa est, in qua esset, si scripti non fuissent.» Secus est de peregrinis sine causa pœnæ, seu alienigenis; hi enim, qui facere possunt Testamentum, *Authen. Omnes peregrini. c. Communia de Succes.* etiam hæredes institui possunt, eo quod testamenti factio activa tanquam nobilior annexam habere soleat passivam. VI. Damnati ad ultimum supplicium, eo quod statim, ac dampnantur, peregrini evadant, l. *Qui ultimo*. 29. ff. de *Pœnis*. et Servi pœnæ l. III. ff. de *His quæ pro non script. habent*. VII. Liberi rebellium, et perduellium, l. *Quisquis*. 5. § 1. c. *ad Legem Jul. Majest.* ibi: «Filii vero a matre vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant.» etc. VIII. Spuri ex damnato coitu nati, *Authen. Ex complexu. c. de Incest. et inut. nupt.* et *Authen. Licet. c. de Natural. lib.* ibi: «Sed qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur.» IX. Ex testamento vel ab intestato hæres esse nequit, qui occidit testatorem, l. VII. § penult. ff. de *Bonis damn.* et l. XV. § 1. et 2. ff. de *S. C. Syllan.* X. Nihil capit ex testamento, qui manifestissime comprobatus est id egisse, ut per negligentiam vel culpam suam illa persona, a qua hæres institutus est, moreretur, l. *Indignum*. 3. ff. de *His quæ ut indignis*. Tandem institui hæredes non possunt omnes illi, qui ob delictum, testamentum facere nequeunt, de quibus supra n. 304. egimus. Item et illi, quibus ob delictum auferitur hæreditas

et adjudicatur fisco. Plura de iis, qui institui hæredes non possunt, qui desiderat, videat apud legistas.

403. *Fratres minores non possunt institui hæredes bene tamen legatarii.* — Præter enumeratas personas specialiter etiam vi regulæ, et altissimæ paupertatis, hæres institui prohibentur Fratres minores Ordinis sancti Francisci regulam ejusdem pure et absque dispensatione observantes, quales sunt observantes, reformati, et capuccini: textu claro Clem. un. §. *Quia igitur. de Verb. signif.* ubi etiam ratio additur illis verbis: «Quia in successione transit non solum usus rei, sed et dominium suo tempore in hæredes.» Domini autem omnisque juris politici, vi regulæ, et altissimæ paupertatis omnino incapaces sunt dicti Fratres in communi, quam in specie; uti patet tum ex regula, tum ex c. *Exiit*. 3. de *Verb. signif.* in 6. et cit. Clem. un. eod. Quo tamen non obstante possunt eisdem relinqui legata per modum elemosynæ, cit. c. *Exiit*. 3. §. *Ad hæc de Verb. signif.* dummodo ita excessiva non sint, ut in fraudem facta præsumi queant. cit. Clem. un. §. *Quia igitur. de Verb. signif.* ibi: «Nec licet eis valorem hæreditatum, vel tantam earum partem, quod præsumi posset, hoc in fraudem fieri, quasi sub modo et forma legati sibi, dimitti facere, vel sic dimissa recipere: quin potius ista sic fieri ab eis simpliciter prohibemus.» De quo magis infra.

404. *Hæredes hodierno jure necessario instituendi sunt non tantum liberi et nepotes respectu testamenti paterni, et ascendentium illius.* — Queritur III. An, et quinam sint hæredes *necessarii*, ita ut necessario institui debeant hæredes? Resp. I. Omnes liberi legitimi, adhuc *sui*, seu nondum emancipati, tam masculi, quam foeminae respectu patris et ascendentium ejusdem, videlicet avi, aviæ, proavi et proaviæ, etc., paternorum sunt hæredes omnino *necessarii*, necessarioque vel hæredes institui, vel nominatim exhæredari debent; ita quidem, ut testamentum, in quo pater filium, vel filiam, aut avus, vel avia paterνα nepotem, vel neptem præterit, vel nominatim non exhæredat, causa legitima exhæredationis expressa, testamentum ipso jure sit nullum. Ita certa apud omnes: textu claro princ. *Instit. de Exhæred. lib.* et § 5. *Instit. eod.* ubi antiqua constitutio de solis masculis nondum emancipatis loquens ampliatur illis verbis: «Sed hæc quidem vetus

ias introducebat, nostra vero constitutio inter masculos et foeminas in hoc jure nihil interesse existimans; quia utraque persona in hominum præcreatione, simili naturæ officio fungitur; ideo simplex ac simile jus et in filiabus, et in cæteris de descendentes per virilem sexum personis non solum jam natis sed etiam posthumis introduxi, ut omnes sive sui, sive emancipati sint, vel hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur: et eundem habeat effectum circa testamenta parentum suorum infirmamanda.» Concordal, novell. 115. cap. II.

405. *Sed etiam respectu testamenti materni, et ascendentium illius.* — Resp. II. Præfati liberi et nepotes etiam respectu matris et ascendentium illius avi nempe, aviæ, proavi, et proaviæ maternorum pari modo sunt hæredes *necessarii*; ita ut vel institui, vel exhæredari, vel saltem causa exhæredandi in testamento exprimi debeant: Ita tenet Clarus, § *Testamentum*. q. 47. citans communem; Grassus, § *Testamentum*. q. 36. n. 1; Manz., tit. VIII, n. 54; Corneus, consil. 118. in lit. A. lib. II. ubi dicit ita sentire doctores omnes ubique, licet adversariis non careat, ut Cujac., in l. IV, circa finem. ff. de *Lib. et posthum. hæred.* *Instit. Duraen.*, ad tit. de *Inoffic. testam.* cap. III.; Donell., in *Authen. Ex causa*. n. 5. c. de *Liber. præterit.* arg. § fin. *Instit. de Exhæred. liber.* ibi: «Mater, vel avus maternus necesse non habent liberos suos aut hæredes instituere, aut exhæredare, sed possunt silentio omittere, nam silentium matris aut avi materni, et cæterorum per matrem ascendentium tantum facit, quantum exhæredatio patris,» etc. Sed aliud liberis administratum servatur; videlicet «querela inofficiosi testamenti,» per quam petere possunt rescissionem hujusmodi testamenti, l. III, et *Filiam*. 15. c. de *Inoffic. testam.* juncto § fin. *Instit. de Exhæred. liber.* et princ. *Instit. de Inoffic. testam.*

406. *Probatum ex jure. Prohibita seu illicita de lege, sunt etiam invalida.* — Verum citatis juribus non obstantibus verior juri que conformior est conclusio nostra; eo quod citata jura utpote vetustiora correctæ sint a novo, in novell. 115. cap. III. ibi: «Sancimus igitur non licere penitus patri, vel matri, vel avo, vel aviæ, proavo, vel proaviæ suum filium, vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exhæredes facere in suo testamento, etc. nisi probabuntur ingrati, et ipsas ingratitudinis causas, parentes suo inseruerint

testamento, etc. Si autem hæc observata non fuerint, nullum exhæreditatis liberis præjudicium generari, sed quantum ad institutionem hæredum pertinet, testamento evacuato, ad parentum hæreditatem liberos tanquam ab intestato ex æqua parte pervenire. » Concordat, Authen. *Non licet. c. de Liber. præf.* ibi: « Non licet parenti (quo nomine non solum pater, sed et mater, cum utriusque ascendentibus intelligitur, Calvinus, in *Lexic. jurid.* arg. l. I. et III. ff. de *Grad. Affinit.*) aliquem ex liberis exhæredare, nisi probetur ingratus, et ingratitude causa nominatim inseratur testamento. » Ex his enim textibus clare patet, etiam testamentum matris, et ascendentium illius, ipso jure irritum esse, nisi in eo liberi instituuntur hæredes; eo quod, quæ a lege prohibentur, etiam irrita sint, l. *Non dubium. 5. c. de Legibus.* ibi: « Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum. »

407. *Maternum et ascendentium illius testamentum valet, si descendens in eo sit præteritus; dummodo causa præteritionis sit inserta.* — Dixi notanter in conclusione, « vel saltem causa exhæredandi exprimi debeat; » quia doctores communiter concedunt testamentum maternum, et ascendentium ejusdem valere, etsi prolem nec instituunt hæredem, nec exhæredent; dummodo saltem causam præteritionis testamento inserant; nam cum jure antiquo § fin. *Instit. de Exhæred. liber.* mater, et ascendentes ejusdem, libero pro hæredibus instituere necessario non debuerint; et novella illud corrigens expresse addat, nisi forsitan « probabuntur ingratitude parentes suo inseruerint testamento, » palam est, jus antiquum manere in suo valore casu quo mater, vel ascendentes ejusdem saltem causam exhæredationis testamento inserunt. « Quamvis contra illud querelam instituere possit proles exhæredata, se injuste exhæredatam putans. »

408. *Non tantum liberi adhuc sui, sed etiam emancipati sunt necessarii hæredes.* — Resp. III. Non tantum *sui*, seu nondum emancipati sed etiam *non sui*, id est, jam emancipati liberi et nepotes ita necessarii sunt hæredes, ut nisi instituuntur, vel nominatim exhæredentur, vel saltem (si est testamentum maternum) causa præteritionis exprimat, testamentum ipso jure sit nullum. Molina disp. 175. n. 35; Covarruvias, in *c. Raynutius.* in

prin. a. n. 3. h. t. cum communi contra Alciatum, Perez, c. h. t. n. 4; Grassum, § *Suitas. q. 4. n. 9.* et alios, docentes, testamentum hujusmodi non esse nullum ipso jure, posse tamen annullari. Probatur conclusio nostra ex cit. § 5. *Instit. de Exhæred. liber.* ubi relato jure antiquo novum statuitur hujus tenoris: « Ut omnes sive sui, sive emancipati sint, vel hæredes instituuntur, vel nominatim exhæredentur: et eundem effectum habeant circa testamenta parentum suorum infirmata. » Concordat, Novella 115, cap. III. ubi sine discrimine inter suos et emancipatos absolute statuitur, « penitus non licere patri vel matri, filium vel filiam vel cæteros liberos (utique emancipatos, utpote qui liberi non esse cessant) præterire. »

409. *Solvitur instantia ex jure.* — Dices, cit. § 5. *Instit. de Exhæred. liber.* statuitur, testamenta, in quibus liberi emancipati sunt præteriti, esse infirmata; ergo ipso jure non sunt infirma seu nulla. Resp. ly *infirmata* ibi non sumi in sensu stricto, quasi vero testamenta hujusmodi ex se firma essent, et primum per judicis sententiam infirmari deberent: sed quod ipso jure jam infirma, pro talibus declarari debeant: alias enim sequeretur etiam testamenta, in quibus *sui* sunt præteriti, de jure esse firma, et primum infirmata fore; cum textus de utroque testamento pariter loquantur, ut legenti patet. Sequela autem est contra omnes etiam adversarios. Accedit, quod ratio legis novæ jure antiquum corrigentis etiam militet in emancipatis; videlicet, quia utraque persona in hominum procreatione, simili naturæ officio fungitur, » cit. § 5. *Instit. de Exhæred. liber.*

410. *Liberi illegitimi, alii naturales, alii spurii, alii ex damnato coitu.* — Queritur. IV. An etiam liberi illegitimi necessario institui debeant hæredes? Ante responsionem notandum illegitimos alios esse naturales, alios spurios, alios ex damnato coitu natos. Naturales sunt, qui procreantur a parentibus solutis ad contrahendum matrimonium tempore conceptionis habilibus. Spurii proprie dicti sunt, qui quidem gignuntur a parentibus solutis, et ad contrahendum habilibus, matre tamen existente publica meretrice, ita ut cerio constare non possit, quisnam ex fornicatoribus sit verus pater, l. *Vulgo. 23. ff. de Statu hominum.* Nati ex damnato coitu dicuntur, qui proveniunt a parentibus

tempore conceptionis ad contrahendum matrimonium inhabilibus, prout sunt liberi ex adulterio, vel a sacerdotibus, aut consanguineis nati; quamvis hi etiam spurii passim vocentur, de quibus omnibus infra lib. IV. tit. XVII. *Qui filii sint legitimi.* Hoc notato.

411. *Liberi ex damnato coitu nunquam sunt necessarii hæredes.* — Resp. I. Liberi ex damnato coitu nullatenus sunt *necessarii hæredes.* Communis ac certa. Patetque conclusio ex dictis supra, n. 402. ubi diximus, quod nati ex damnato coitu, neque possint institui hæredes, Authen. *Licet. c. de Natural.*

412. *Bene vero naturales legitimi.* — Resp. II. Liberi naturales, si sunt legitimi, æque sunt *necessarii hæredes* ac legitime nati, ita ut vel necessario institui, vel nominatim exhæredari debeant. Clarus, § *Testamentum. q. 84;* Hunn., in *Encyclop. jur.* p. 4. tit. VII. cap. I. n. 27; Decius, concil. 52. n. 1; Jason, Gailus, et communis aliorum. Ratio est, quia regulariter loquendo legitimi æquiparantur legitimis.

413. *Naturales non legitimi sunt necessarii hæredes, respectu matris, non item respectu patris.* — Resp. III. Liberi naturales non legitimi sunt *necessarii hæredes* respectu testamenti materni, non item paterni, ut proin testamentum matris sit nullum, in quo proles naturalis instituta, vel nominatim exhæredata non sit. Ita communis. Et quidem de testamento materno patet ex l. *Modestinus. 8. ff. Unde cognati. et l. I. § Sed et vulgo. ff. ad S. C. Tertul.* ubi sine differentia inter legitimos, et non legitimos liberi naturales una cum legitimis necessario succedere debent. De testamento paterno autem constat ex Authen. *Ex complexu c. de Incest. nupt.* Quamvis enim ibidem tantum sit sermo de natis ex damnato coitu; tamen eadem juris dispositio etiam ad naturales communiter extenditur a doctoribus, ob rationem, quod dicta dispositio in favorem legitimorum et in odium fornicatorum sit facta, Gailus, lib. II. observ. 88; Clarus, q. 42. n. 4, cum Glossa communiter recepta, in l. I. prin. § *Naturales. ff. de Bonor. possess. contra Tab.*

414. *Quid de his statuta Bavariæ?* — Statuta Bavariæ, tit. XXX. circa illegitimos in aliquibus differunt a jure communi, præsertim quod mater illegitimos naturales instituere non possit, nisi sint legitimi. Si vero legitimi non sunt, et mater legitimos liberos, aut parentes suos adhuc habeat, illegi-

timis non nisi honestam sustentationem relinquere valeat: casu quo vero legitimis descendentes et ascendentes careat, naturales etiam non legitimos hæredes instituere possit. Cæterum, an, et quid illegitimi alias dare possint, vel teneantur parentes, dicemus alibi.

415. *Deficientibus descendentes, ascendentes sunt necessarii hæredes.* — Queritur V. An, et quando *necessarii hæredes* sint parentes? idem fratres, et sorores? Resp. I. Qui habet legitimos descendentes de jure non tenetur instituere parentes, vel alios ascendentes; sive quod idem est, existentibus descendentes testatoris, ascendentes ejusdem non sunt *hæredes necessarii.* Si vero nullos habeat descendentes testator, debet parentes, vel alios ascendentes in linea recta saltem quoad legitimam necessario instituere vel nominatim exhæredationis expressa. Communis ac certa. Prima pars patet ex novell. 118. cap. I. vi. cujus ascendentes omnes totaliter excluduntur a successione per extantes descendentes. Secunda vero pars liquet ex novell. 115. cap. IV. prin. ibi: « Sancimus itaque non licere liberis parentes suos præterire, aut quolibet modo a rebus suis, in quibus habent testandi licentiam eos omnino alienos facere, nisi causas, quas enumeravimus, specialiter in suis testamentis nominaverint, vel descriperint. » Et § 8. « Si autem hæc omnia non fuerint observata nullam vim hujusmodi testamentum, quantum ad institutionem hæredum habere sancimus, sed rescisso testamento (per declarationem nullitatis) eis, qui ab intestato ad hæreditatem defuncti vocantur, res ejus dari disponimus: legatis videlicet et aliis capitulis suam obtinentibus firmitatem. »

416. *Testamentum parentum vel liberorum ob solam præteritionem nullum, valet quoad legata.* — Ex quibus ultimis novellæ verbis doctores unanimiter inferunt testamentum proles ob solam præteritionem parentis, vel alterius ascendentes nullum valere quoad legata et fideicommissa eisdem inserta. Sicut a pari etiam testamentum parentis ob solam præteritionem proles nullum, valet quoad legata et alias dispositiones eisdem insertas, cit. novell. 115. cap. III. ibi: « Si vero contigerit in quibusdam talibus testamentis (parentum) quedam legata, vel fideicommissa aut libertates, aut tutorum donationes relinquere, vel quælibet alia capitula concessa legibus nominari: ea omnia jubemus adimpleri